

tibus: & quadrupedum quæ ova pariunt, ut lacertæ. Struthiocamelus alitum sola (ut homo) utrinque palpebras habet. nec genæ quidem omnibus: ideo neque nictationes ipsæ quæ animal generant. Grauioribus alitum inferiore genæ conuiuent. Eadem nictantur, ab angulis membrana obeunte. Columbæ & similia utraq; conuiuent. At quadrupedes quæ ova pariunt, ut testudines, crocodili, inferiore tantum sine ulla nictatione, propter præduros oculos. Extremum ambitum genæ superioris, antiqui ciliū uocauerunt, unde et supercilia. Hoc uulnere aliquo diductū non coalescit, in paucis humani corporis membris. Infra oculos malæ, homini tantū, quas præsci genas uocabant, xii. tabularum interdito radi à fæminis eas uetantes. Pudoris hæc sedes. Ibi maxime ostenditur rubor. Infra eas hilaritatem risumque; indicantes, buccæ. Et altior homini tantū, quem noui mores subdola irrisioni dicauerunt, nasus. Non alij animalium nares eminent. Auibus, serpentibus, piscibus foramina tantum ad olfactus, sine naribus. Et hinc cognomina Simorū, Silonum. Septimo mense genitis sæpenuero foramina aurium & narium defuere. Labra, à quibus Brocci, Labeones dicti, & os probum durius uel animal generatibus: pro ipsa cornea et acuta uolucris rostra. Eadem raptu uiuentibus adunca: collecto, recta: herbas ruentibus limumque; lata, ut suū generi. Iumētis uice manus ad colligenda pabula ora, apertiora laniatu uiuentibus. Mentum nulli præter hominem, nec malæ. Maxillas crocodilus tantum superiores mouet: terrestres quadrupedes, eodē quo cætera more, præterque in obliquum. Dentium tria genera: Serrati, aut continui, aut exerti. Serrati pectinatim coeuntes, ne contrario occurso atterantur, ut serpentibus, piscibus, canibus. Continui, ut homini, equo. Exerti ut apro, hippopotamo, elephanto. Continuum qui digerunt cibum, lati & acuti: qui conficiunt duplices: qui discriminant eos, canini appellantur. Hi sunt serratis longissimi. Continui aut utraque parte oris sunt, ut equo: aut superiore primores non sunt, ut bubus, ouibus, omnibusque quæ ruminant. Capræ superiores non sunt, præter primores geminos. Nulli exerti, quibus serrati: Raro fæminæ, & tamen sine usu. Itaque cum apri percutiant, fæminæ sues mordent. Nulli, cui cornua, exerti: sed omnibus concui, cæteri dentes solidi. Piscium omnibus serrati, præter scarum: huic uni aquatiliū plani. Cætero multis eorum in lingua et toto ore: ut turba uulnerū molliant, quæ attritu subigere non queunt: Multis & in palato atque etiam in cauda: Præterea in os urgentes, ne excidant cibi, nullum habentibus retinēdi adminiculum. Similes aspidi & serpentibus: sed duo in supera parte dextra læuaque longissimi tenui fistula perforati (ut scorpionum aculei) uenenum infundentes. Non aliud hoc esse quam fel serpentium, & inde uenis sub spina ad os peruenire, diligentissimi autores scribunt. Quidam unum esse eum: & quia sit aduncus, resupinari cum momorderit. Aliqui tunc decidere eum, rursusque; re-

crescere factilem decussu, & sine eò esse quos tractari cernamus. Scorpionis caudæ inesse eum, & plerisque ternos. Viperæ dentes gingiuis cōduntur. Hæc eadem prægnans ueneno, impresso dentium repulsi uirus fundit in morsus. Volucrum nulli dentes, præter vesperilionem. Camelus una ex ipsis quæ non sunt cornuigera, in superiori maxilla primores non habet. Cornua habentium nulli serrati. Et cochleæ dentes habent: indicio est à minimis earū derosa uitis. At in marinis crustata & cartilaginea primores habere, item echinis quinos esse, unde intelligi potuerit miror. Dentium uice, aculeus insectis. Simiæ dentes, ut homini. Elephanto intus ad mandendum quatuor, præterque eos qui prominent, masculis reflexi, fæminis recti atque proni. Musculus marinus, qui balenam antecedit, nullos habet: sed pro ipsis setis intus os hirtum, et linguam etiam ac palatum. Terrestrium minutis quadrupedibus, primores bini utrinque longissimi. Cæteris cum ipsis nascuntur: homini, postquam natus est septimo mense. Reliquis perpetuo manent. Mutantur homini, leoni, iumento, cani, & ruminantibus. Sed leoni & cani, non nisi canini appellati. Lupi dexter caninus, in magnis habetur operibus. Maxillares qui sunt à caninis, nullum animal mutat. Homini nouissimi qui genuini uocantur, circiter uicesimum annum gignuntur, multis & octogesimo. Fæminis quoque: sed quibus in iuuenta non fuere nati, decidere in senectâ, & mox renasci certū est. Zanclen Samothracenū ciuem, cui renati essent post centum & quatuor annos, Mutianus visum à se prodidit. Cætero maribus plures quam fæminis in homine, pecude, caprisue. Timarchus Nicoclis filius Paphi, duos ordines habuit maxillarum. Frater eius non mutauit primores, ideoque prætrinit. Est exemplum dentis, homini & in palato geniti. At canini amissi casu aliquo, nunquam renascuntur. Cæteris senectâ rubescunt, equo tantum candidiores fiunt. Aetas ueterinorum dentibus indicatur. Equo sunt numero xl. Amittit tricesimo mense primores utrinque binos: sequenti anno totidem proximis, cum subeunt dicti columellares. Quinto anno incipiente binos amittit, qui sexto anno renascuntur: Septimo omneis habet, & renatos & immutabiles. Equo castrato prius, non decidunt dentes. Asinorum genus tricesimo mense similiter amittit, deinde senis mensibus. Quod si non prius peperere quam decidant postremi, sterilitas certa. Boves bini mutant. Suis decidunt nunquam. Absumpta hac obseruatione senectus in equis, & cæteris ueterimis, intelligitur dentium brochitate, superciliorum canitie, & circa ea lacunis cum fere xvi. annorum existimantur. Hominum dentibus quoddam inest uirus. Nanque & speculi nitorem ex aduerso nudati hebetant, & columborum fætus implumes necant. Reliqua de ipsis in generatione hominum dicta sunt. Erumpentibus morbi corpora infantium accipiunt. Reliqua animalia quæ serratos habent, seuissima dentibus. Lingua non omnibus eodem

\*capra, sue.

\*Bubus bis mutantur

dem